



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 18. At Iesus dixit: Ite in Civitatem ad quendam, & dicite ei Magister dicit.
v. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Domine, da gratiam ut lubenti tibi semper animo seruiam, ut hi Apostoli: sequar illos in bono, Iudam detester in malo, ut sempiternum malum fugere, aeternum vero bonum tecum merear possidere.

§. 18. *At Iesus dixit: Ite in Civitatem ad quendam, & dicite ei Magister dicit. v. 18.*

Dicit ergo eis: ite in civitatem scilicet Ierusalem quæ convenire solebant Iudæi ad comedendum Pascha tanquam locum destinatum: ad quendam amicorum, cuius nomen edicere noluit, ut divinitatem suam, per providentiam insignem, quæ secreta est, discipulis manifestaret. Ab isto vero ad quem mittebantur discipuli Christus multum diligebatur, ideoque confidenter ad eum mittit, ut in domo eius sibi pararetur Pascha. Omnino sic Deus agit qui diligunt eum, ipsos visitat, cum illis manducat, & secretorum facit participes.

O Si ego quoque sic te amem mi Iesu, ut merear à te visitari, tecum Pascha comedere in domo cordis mei, & ibi audire arcana, ac monita quid me oporteat facere, ut tibi semper placeam.

§. 19. *Quia tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. v. 18.*

Causam quam edicant discipuli Domino domus, nempe *tempus meum prope est*. Erat id quasi symbolum, quo audito annueret Apostolis facilius, ut pararent Pascha in domo sua quod ecce Paschale tempus adest, & ego agnus ille sum, qui immolari debet pro peccato mundi, hoc mysterium apud te inchoabo incruente, postea alij cruento modo, quod symbolum potuit Christus antea hospiti dedisse ut Passionis & mortis suæ telleram, vel tunc divinitus ei aperuisse.

Quam bonum esse amicum Dei, qui ubique & semper curam habet de suis ne decipiantur vel verbo vel facto; sed potius prævenit in sinceritate revelando arcana sua, ideoque me tibi ò Deus offero in discipulum & servum perpetuum.

§. 20. *Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & paraverunt Pascha. v. 19.*

Ecce obedientiam discipulorum erga Magistrum! quam prompti sunt ad mandatū etiam cæcum! ut illud exequantur, apparaverunt Pascha non per alio-